



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Locutio Dei Ad Cor Religiosi**

**Pawłowski, Daniel**

**Leodii, 1701**

A Meridie, Hora Considerationis. De Servitio Dei, sine intuitu illius  
mercedis, & desiderio videndi Deum.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59541](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59541)

In COLLOQUIO: Et quidni, pretiosissima Dei mei Mater! velim usque ad defatigationem servire Filio tuo? qui pro me fatigatus est, sudavit, sanguinem fudit, & tandem in lecto crucis quievit? quidni velim & tibi usque ad defatigationem deservire? ubi æquius & fortunatius impendam, expendamque & prodigam vires meas, quàm in obsequio vestri? Nolo me superari ab Aulicis, qui in obsequiis Dominorum suorum fatigantur, & moriuntur, &c. In fine Pater, & Ave.



## H O R A

### CONSIDERATIONIS,

Tempore pomeridiano,  
Diei octavæ.

*De Servitio Dei sine intuitu ullius  
mercedis & de desiderio vi-  
dendi Deum.*

1. **P**ostquam Christus Dominus retulit de quodam homine divite, annosque plurimos ad comedendum, bibendum & epulandum sibi pollicente, cui Deus dixit: *Stulte, hac nocte animam*

nam reperent à te. & hæc, qua parasti, cujus erunt? ita concludit historiam: Sic est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives. Quærunthic Sacræ Scripturæ interpretes, quid sit thesaurizare sibi, nec esse divitem in Deum? S. Augustinus de tempore, Ser. 44 Quem refert Cornel. à Lapide in hunc locum, dicit: *Eum esse divitem in Deum, qui est plenus charitate, seu qui ex charitate sola servit Deo, non intuitu ullius mercedis, etiam celestis, thesaurorumq; Regni Dei*

2. Sic erga Deum dives fuit magnus divinorum æstimator Job, dum protestatus est, *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo*: veluti diceret: non propter vitam, ullumve bonum meum spero in Deum, illique servio, sed propter illum solum.

3. Tales erga se divitias placere sibi ostendit Deus, dum in quodam raptu S. Magdalenæ de Paxis exhibuit S. Joannem Evangelistam, seque in anima ejus singulariter oblectantem, eò quòd anima illa omnia operata sit ex solo Dei amore, & ex eodem animas ad suum Creatorem duxerit, ut refert P. Tausch de Matre dolorosa. lib. 2. cap. 12.

4. De ipsa verò hac S. Magdalena scribitur in vita ejus, eam dicere solitam: *Si crederem, me uno solo verbo prolato ob alium finem, quàm ob amorem Dei, posse evadere Seraphinum, nunquam illud proferrerem.*

5. Jam de S. P. N. Ignatio in hac materia quid dicendum? audiamus illum in exercitiis suis ita loquentem: *Suscipe Domine universam meam libertatem, &c. am orem tuam solum cum gratia tua mihi dones, & dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco.* Et in Summario vult à suis omnibus semper id spectari, ut *serviant & placeant divinae bonitati, propter illam ipsam potius, quam ob timorem poenarum, vel spem pramiorum.*

6. Executus est eximiè Regulam hanc optimus Frater Joannes de Soto Vestiarinus è nostra Societate, qui gravi & mortifero, quem prædixerat, morbo decumbens, jam morti proximus acum poposcit, quam in parietis rimam inferuerat: qui præsentibus aderant, delirare illum opinabantur: sed ille, non deliro, inquit, sed amore Dei dari mihi velim, quod peto: acceptam itaque acum sumit, & ait: *Hac mihi acus cæli clavis erit; hac paradisi portas reserabo, cum hæc mori cupio, & Christum invisere Redemptorem meum; nihil enim hac acu paravi, nisi solius amore Dei, neque filium eadem trajeci unquam, nisi ut illi placerem, nec aliter, quàm si ipsum Christum vestire debuissim.*

7. Assuesce igitur, Religiose, imitari hos, & ita per omnes actiones tuas fervire Deo, ut non spectes mercedem ullam, sed solum amorem Dei. Adde tamen, etiam spe præmii cælestis &

metu gehennæ, seu propter Deum glorificatorem & vindicem æternum aliquid operari, esse actum virtutis Theologicæ Spei, cujus objectum prosecutionis est gloria æterna; objectum autem fugæ, est poena æterna.

1. Quod attinet ad desiderium videndi Deum, de hoc breviter quædam adnoto. Inprimis, signum esse non postremum reprobationis, nunquam desiderare videre Deum in cælo: in tales enim cadit illud de reprobis dictum *Psal. 105. Pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.* Et certè quis viator non appetit terminum suum? quis exul non desiderat patriam suam? nisi eo ipso desierit esse patriota. 2. Desideria rerum terrenarum extinguuntur per desiderium videndi Deum, magis quàm per appetitum calidorum destruitur appetitus frigidorum. 3. Neminem posse esse verum Religiosum, qui non aliquando saltem toto corde efficaciter appetit cælestia, seu videre Deum; quia cum Religiosus debeat esse & contemptor rerum terrenarum, & desertor, si effectum adhæret illis, non censetur verus Religiosus: hoc ipso autem censetur adhære rebus terrenis, si nunquam appetit cælestia; nunquam enim cor nostrum est sine adhærentia ad aliquid. 4. Servum Dei eò esse viciniorem cælo, quò ardentius & vehementius ap-

petit cælestia , seu videre Deum , quia in fine motus est velocior. Sic anhelabat Moyfes. *Exod. 33. Ostende mihi faciem tuam ! ostende mihi gloriam tuam !* sic David *Psal. 41. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum !* Sic S. Paulus cupiens dissolvi *ad Phil. 2.* Sic S. Pater noster ; *ô quàm sordet mihi terra , dum calum aspicio ! 5.* Defectum desiderii , videndi SS. Trinitatem , obstaculo nonnullis fuisse post mortem , ne statim admitterentur ad visionem Dei : comprobatur id P. Nierembergii ex historia Collegii Complut. *lib. 2. doctr. 13. cap. 78.* Relatione quadam de P. Joanne Fernandio , qui Romæ Theologiam docens , dum materiam de SS. Trinitate traderet , exarsit ejus videndæ desiderio , raptusque in spiritu , post multa sibi admodum gravia vidit in horto quodam peramæno animam quandam pellucidè & radiantè vestitam , à qua didicit , quòd esset anima unius Fratris nostri , qui in Societate septennio vivit , & propter defectum desiderii vivendi SS. Trinitatem , ejusdem desiderii Purgatorium in eo loco pateretur.

